

CORNELII TACITI

- igne temptes, in modum taedae accenditur alitque flammam pinguem et olentem ; mox ut in picem resinamve lentescit.
- 9 Suionibus Sitonum gentes continuantur. cetera similes uno differunt, quod femina dominatur : in tantum non modo a libertate sed etiam a servitute degenerant. 5
- 46 Hic Suebiae finis. Peucinorum Venethorumque et Fen-
 norum nationes Germanis an Sarmatis adscribam dubito. quamquam Peucini, quos quidam Bastarnas vocant, sermone cultu sede ac domiciliis ut Germani agunt. sordes omnium ac torpor procerum : conubiis mixtis nonnihil in Sarma- 10
 2 tarum habitum foedantur. Venethi multum ex moribus traxerunt ; nam quidquid inter Peucinos Fennoque silvarum ac montium erigitur latrociniis pererrant. hi tamen inter Germanos potius referuntur, quia et domos figunt et scuta gestant et pedum usu et pernecitate gaudent : quae omnia 15
 3 diversa Sarmatis sunt in plaustro equoque viventibus. Fennis mira feritas, foeda paupertas : non arma, non equi, non penates ; victui herba, vestitui pelles, cubile humus : solae in sagittis spes, quas inopia ferri ossibus asperant. idemque venatus viros pariter ac feminas alit ; passim enim 20
 4 comitantur partemque praedae petunt. nec aliud infantibus ferarum imbriumque suffugium quam ut in aliquo ramorum nexu contegantur ; huc redeunt iuvenes, hoc senum recep-
 5 taculum. sed beatius arbitrantur quam ingemere agris, inlaborare domibus, suas alienasque fortunas spe metuque 25
 versare : securi adversus homines, securi adversus deos rem